

**05**

**A**

**1852**





43  
3

//  
כנה

DISSERTATIO PHILOLOGICA,  
DE  
NOMINIBUS DIVINIS

יְיָ אֱלֹהֵינוּ אֶתְּנֵנוּ

QUAM

PRO LOCO,  
Ab Amplissimo Philosophorum in Inclytâ  
hac Leucoreâ Ordine,  
Benevolè ac unanimi suffragio sibi concesso,

Publicè defendet

P R Æ S E S

M. GEORGIUS *Schwarze*/  
Greifsvvaldiâ - Pomeran.


RESPONDENTE

HENRICO CHRISTIANO *Zielcken*/  
Rostochiensi,

*In Auditorio Majori,*

*Ad diem VII Octobr.*

ANNO M DC LXXIX.



WITTE|NBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERL



VIRIS  
SPECTABILI, VENERANDO, NOBILISSIMIS,  
AMPLISSIMIS, atq; EXCELLENTISSIMIS  
DOMINIS,  
DNN., DECANO,  
SENIORI, AC PROFES-  
SORIBUS AMPLISSIMÆ FA-  
CULTATIS, QUÆ IN HAC ALMA  
LEUCOREA EST, PHILOSOPHICÆ,  
CELEBERRIMIS, &c. &c.

DNN. PATRONIS, PRÆCE-  
PTORIBUS, AC PROMOTORIBUS  
OPTIMIS, MAXIMIS, OMNI OBSERVAN-  
TIA ÆTERNUM COLENDIS ATQ;  
DEVENERANDIS, &c. &c.

HOC QVALECUNQ; GRATI ANIMI  
SPECIMEN

PROMTA AC OBSEQVIOSA  
OFFERT MENTE,

PRÆSES.



בשש

§. 1.



Um nomen Domini dicente Salo-

mone Prov. XVIII, 10. sit בור-רוץ

מגדל-עז i.e. Turris roboris, s. robusta, ad quã

justus currit & exaltabitur, s. cum nomen Domini

in omnis generis periculis longè promptius ac se-

curius justis præstet, quod aliàs turris in hostium

impetu hominibus præstare solet, multùm, ut nomen divinum rectè

cognoscamus, procul dubio referet. Hinc etiam operam illam per-

ditum iri non putamus, qua in Nominum divinorum explicatione

pergimus. Theoninos autem non curamus dentes, quia veritatem

illorum quæ habet *Aristophanes*, Ἄλλ' ἔκ' ἐνεστὶ συνοφάντης δὴ γυμνασίος,

quotidiana comprobatur experientia. Proinde supplices saltem ad

DEum tendimus manus, ut ipse in sui nominis gloriam, quæ de suis

nominibus porro dici possunt, nobis suggerat. Sit nobis nomen

Domini jam quoq; Turris robusta, ut ad illam currentes exaltemur.

Fiat!

§. 2.

Est autem in præsentibus nobis animus in controversias quæ

circa nomina אלהי & אלהי moventur, inquirere. Itaq; omnium pri-

mo quidquam de nomine אלהי jam dicendum erit. Illius verò Ety-

mon ab omnibus non eodem explicatur modo. Nonnulli id de-

curtatum putant ex אלהי. Pro qua sententia etiam facere posset cre-

bra hujus atq; nominis אלהי inter se permutatio. Ita enim v. g.

Jacob dicitur ישראֵל, quia pugnavit עם-אלהי Gen. XVI,

26. Sic etiam quæ Moses habet Exod. XV, 2. מִי כַמֹּכָה בְּאֱלֹהִים

אֵין כַּמֹּךְ בְּאֱלֹהִים, illa David his effert verbis יהוה מִי כַמֹּכָה

Pf. LXXXVI, 8. Nos tamen hoc non obstante, hanc derivationem re-

jiciendam esse censemus. He siquidem in אלהי cùm propter mappik

fit mobile, abjici non potest. Permutatio quoq; illa quod probare

debebat, non probat. Multa quippe inter se permutantur nomina

divina, quorum unum ab altero non deducitur. Unico exemplo



rem declarasse sufficiat. Ita quoq; permutantur inter se invicem  
 יהוה & אלהים. Nam Gen. I. de אלהים dicitur, quod Cælum  
 & terram creaverit; Ast Ps. XXXIII, 6. id pronuntiatur de יהוה:  
 Quis verò vel יהוה ex אלהים vel אלהים ex יהוה decurtatum  
 diceret? Neq; res illa tantâ admiratione digna censeri debet. Cum  
 enim nomina hæc unum idemq; designent subjectum, quidni & in-  
 ter se permutari, atq; modo hoc modo alio nomine illud subjectum  
 appellari poterit? Palam idcirco, ut putamus, ex dictis erit nomen  
 hoc non esse ex אלהים. Affert autem præter hanc  
 aliam atq; novam *Clariff. Höttinger in Fascic. Dissert. Theolog. Phi-  
 lolog. pag. 73.* hujus nominis Etymologiam, quando ait, nec malè ad  
 99 Arabum referri posse, quod primum significat, æternum. Ve-  
 rum ipse his non immoratur diutius, sed ab אור vel אר vel איר *Vir-  
 tus, fortitudo, potestas* hoc nomen derivari autumat. Cui ultimæ  
 originationi nos quoque non possumus non subscribere. Existi-  
 mamus verò fuisse olim quandam radicem hodie deperditam אור  
*Robustum, fortem esse,* cui suos hoc nomen natales debet. Senten-  
 tia hæc confirmatur potissimum ex significatione hujus nominis,  
 quæ jam sequitur.

§. 3. Quod itaq; significationem hujus nominis attinet, illa  
 adeò controversa non est cum אר proprie Deum, quatenus est  
 fortis, ac potens, denotare cordatiores ἀνομιὰ concedant. Quin  
 & si SS. consulamus, plerumq; quando de Dei fortitudine & potentia  
 sermo est, eundem אר appellari deprehendimus. Ita enim Moses  
 summam Dei Pharaonem in mari rubro submergentis deprædica-  
 turus potentiam inquit: מי כמִיכה באֱלֹהִים יְהוָה? Quis sicut  
 tu o Jehova inter Elim i. e. fortissimos? s. quis in fortitudine tibi  
 similis? Adstipulatur huic Psalter regius, qui manifestè hoc nomen  
 fortitudinem ac potentiam designare indicat Psal. LXXXIX, 7. 8. 9.  
 seqq. his usus verbis כִּי מִי בְשַׁחַק יַעֲרֹךְ לַיהוָה יִרְמָה לַיהוָה  
 כִּבְנֵי אֱלֹהִים: אֵל נַעֲרָץ בְּסוּר־קִדְשֵׁי־רַבָּה וְנֹרָא עַל־  
 כָּל־סְבִיבָיו: יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת מִי כִמֹּךָ הַסֵּוֹן יְהוָה &c.  
*Nam quis in nubibus æquabitur Domino, quis similis Domino inter  
 filios Elim s. inter potentes? Elvalde fortem se exhibet in congrega-  
 tione Sanctorum, & terribilis est super omnes, qui circa eum sunt. Je-  
 hova Deus Zebaoth quis similis tibi o potens Deus &c.* Confer. Ps.  
 LXXVII.

LXXVII, 15. Esa. XL, 18. &c. Inde etiam in Cosri pag. 263. part. IV.  
 אל נגזר מאילות וממנו יצאו כל הכחו והוא מרומם  
 להתרמות להם וכשר לומר מי כמוך באלים קבוץ אל:  
 אל *derivatum est ab אילות. Nam ab ipso egrediuntur omnes  
 virtutes. Ipse autem longè sublimior est, quam ut illis assimiletur,  
 & rectè dicitur, Quis sicut tu אילות in fortibus? Exod XV, 11.  
 quod est plurale ab אל: Illud adhuc saltem addimus, non sine causa  
 nos superius dixisse, plerumq; quando de Dei fortitudine ac poten-  
 tia sermo est, eundem אל appellari. Largimur hoc ipso, in qui-  
 busdam SS. locis Deum אל appellari, ita tamen ut ad fortitudinem  
 vel potentiam ejus non habeatur respectus. Exempli loco possent  
 adduci Neh. IX, 31. Ps. XLII, 3. &c. Non enim in Deo Fortitudo vel  
 potentia est accidens ab essentia divina aut aliis attributis realiter di-  
 stinctum, sed à parte rei ipsa divina essentia & cum omnibus attri-  
 butis unum idemq;. Hinc nomen divinum אל, utut ratione origi-  
 nis fortitudinem ac potentiam denotet, absolutè tamen de essentia  
 divina etiam adhiberi posse nemo non perspicit.*

§. 4. Subjungenda verò jam est varia nominis hujus in alias  
 linguas translatio. Non enim uno eodemq; modo sacrorum Bi-  
 bliorum interpretes hoc transtulerunt nomen. LXX. quidem red-  
 dunt frequenter per vocem θεός, rarius & ferè in Jobo tantum per  
 κύριος, rarissimè autem per ἰσχυρός; Aquila tamen communiter  
 per ἰσχυρός interpretari solet. Samaritanus non rarò adhibet suum  
 אֱלֹהִים, quod ratione significationis cum nostro אל coincidit.  
 Est quippe אֱלֹהִים, quod virtutem, potentiam, vires &c. denotat.  
 Imprimis autem de μεταρρησὶς B. Lutheri, qui Es. IX, 6. hoc nomen  
 Krafft reddidit, videndum est utrum illa tolerari possit nec ne. Cer-  
 tum enim est Beatum nostrum Megalandrum eam ob causam à Pon-  
 tificiis ac Calvinianis valde traduci & tantum non Arianismi insi-  
 mulari: Ita David Pareus in *Irenic. cap. 24. art. 14.* contra nostrates  
 Calvinum nec judaizare nec Arianizare probaturus, hoc utitur me-  
 dio termino, quia aliàs dici etiam posset Lutherum patrocinari Ari-  
 anis quod hunc locum non per Stärker Gott / sed per Krafft / Held /  
 transtulerit. Imò magis adhuc manes Beatissimi Viri *Laurent. For-  
 rer. in Manual. Luth. part. 2. cap. 1.* infestat, dum adeo evidens esse  
 asseverat, quod Lutherus hac versione gratam operam Judæis atq; A-

rianis præstiterit, ut nemo etiam prudenter aliud cogitare possit &c. Verum enim verò ἐξ ἀμύχ κοινία πλέκται. Tantoperè enim Calvinum à Beato nostro Luthero differre, ut in explicandis S S. dictis sapissimè cum Judæis & Arianis verè fecerit, nostrates dudum demonstrarunt. Præcipuè autem Lutherus circa loci citat. versionem quam optime excusari potest. Tantum enim abest Megalandrum nostrum negasse ἢ hic Deum notare, ut potius Tom. VIII. Jenens. German. de ultim. verb. David. fol. 146. id expresse affirmet, his usus verbis: Esaias nennet Jhn auch Gdtz / denn das Wort El heisset wohl nach dem Buchstaben/ Krafft. Aber wenns ein eigen Nahme ist (wie hie) so heissets Gdtz durch die ganze Schrift. &c. Respexit itaq; Lutherus quando vertit Krafft / ad significationem, hujus nominis, atq; omnia quæ hic referuntur, esse nomina officii censuit. Deinde parum refert sive reddas Gdtz sive Krafft. Nemo enim præter Deum ipsa fortitudo ac potentia in abstracto est. Multæ creaturarum admodum potentes quidem sunt, nulla tamen potentia in abstracto dici potest. Quam injustè itaq; Lutherus accusetur, patet. Et certè satis mirari non possumus Papistarum impudentiam, qui Luthero eam ob causam, quod hic ἢ per Gdtz non reddiderit Arianismi notam inurere contendunt, cum tamen illorum versio authentica in dicto illo classico I. Tim. III, 16. vocabulum Dei planè omiserit. Ita scil. τὸ κἀρϕθ τὸ ἐν ὀφθαλμῶ τῶ ἀδελφῶ βλέπωσι τὴν δὲ δοκίμ τὴν ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῶ ἔκατανοῶσι. Confer Theod. Hakspan. in Syllog. Disput. Theolog. ac Philolog. p. 223. seqq. De cætero autem non diffitentur nostrates, si accentuum συνέχειαν attendere velimus, rectius per starcker Gdtz / quam per Krafft / Held voces קבץ ἢ transferri. Possidet quippe τὸ קבץ Accentum Dominum Sakefkatonem, atq; ἢ accentum ministrum Munach. Ex quibus ceu adjectivum & substantivum hæc coherere constat. Sed hæc ὡς ἐν παρῶδῳ καὶ παρῆργῳ.

§. 5. Potissimum autem evolvenda est nominis hujus usurpatione. Circa illam autem Excellentiss. Dn. Waltherus, Patronus & Promotor noster perpetua colendus observantia hanc tradit regulam in Colleg. Theol. MSC. Nomen Dei ἢ in usu Biblico singulariter, absolute, substantivè & concretivè positum non κατ' ἐξοχήν, sed etiam ἀπλῶς & simpliciter est nomen soli Deo proprium. Singulis verbis hic



hic sua inest emphasis: Dicitur enim (1) in usu Biblico. Eo ipso a. innuitur aliis quidem, si significatio nudè attendenda esset, hoc nomen quoq; posse competere, cuius scil. forti ac potenti, hanc acceptionem tamen non esse Biblicam. (2) Additur, *singulariter*. Nam nomen plurale אֱלֹהִים dicente Magnif. Dn. D. Calov. in *Theolog. Natural. & Revelat. p. 399.* nusquam in universo codice de vero DEO adhibetur, sed de hominibus fortibus ac potentibus, vel etiam de Diis Gentilium: Conf. Exod. XV, 11. Psal. LXXXIX, 7. Dan. XI, 36. Imò Idola non tantum אֱלֹהִים, sed & אֱלֹהִיִּים h. e. אֱלֹהִים Non Dii I. Par. XVI, 26. Psal. XCVI, 1. dicuntur. Sed habetur (3) in nostra Regula, vocula *Absolute*. Illa autem excludit non quidem epitheta Deo convenientia, attamen vel conditiones adjectas diminuentes & alienantes ut אֲחֵרִי alius Exod. XXXIV, 14. נִכְרִי peregrinus Deut. XXXII, 12. זָרִי alienus Psal. XLIV, 22. vel particulam infinitantem אֱלֹהֵי Deut. XXXII, 21. Hæ enim atq; ejus generis aliæ ubi adduntur particulae, verum DEUM hoc nomen denotare non posse perspicuum est. Neq; verò tantum per hanc vocem *Absolute* ita conditiones alienantes excludimus, sed & nominis hujus compositionem. Etenim nomina & hominum & Angelorum ex hoc nomine sæpius componuntur. Et nominibus hominum quidem præponitur interdum ut אֱלֹהֵי אֱלֵעָזָר &c. interdum tamen & postponitur אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל עֲמֹנֹאֵל &c. In Angelorum verò nominibus ita frequens est hæc compositio ut ferme nomen Angelicum non reperiatur, quod ex hoc nomine divino non constet. Inde etiam in *Schemot b Rabba* dicitur. שְׁמוֹ שֶׁל אֱלֹהִים הוּא Nomen Dei commixtum cum unoquoq; illorum ut, Michael, Gabriel. Et in *Tanchuma* שְׁמוֹ שֶׁל הַקְּבָה מִשְׁתַּתָּף עִם כָּל מַלְאָךְ וּמַלְאָךְ שֶׁנֶּכְרִי שְׁמוֹ בְּקִרְבוֹ Nomen Dei communicatum est unicuiq; Angelo, sicut dicitur, quia nomen meum in medio ejus Exod. XXXIII, 21. Quando a. hoc nomen ita est compositum, tum itidem vero Deo non potest tribui, exceptis tamen nominibus אֱתֵנִי אֱתֵנִי & עֲמֹנֹאֵל, quæ filio Dei tanquam vero Deo conveniunt. Adjicitur autem adhuc (4) in Regula superius citata *substantivè*. Nam reperitur etiam hoc nomen adjective in singulari numero Ezech. XXXI, 11. ubi ta-

men

men de vero Deo non est sermo. Verba sic leguntur in fonte, **וְאֶתְנַחֵם בְּיַד אֱלֹהִים** & *dabo eum in manus fortissimi Gentium.* Adjective autem hic **אֱלֹהִים** accipiendum esse non tantum ex verbis ipsis ac locis parallelis Ezech. XXVIII, 7. & cap. XXX, 11 sed & ex idiotismo Linguae Sanctae, in qua ita superlativus etiam solet exprimi, constare potest. Sed legitur adhuc (5) in nostra regula **אֱלֹהִים** concretivè. Excludimus hoc ipso significationem abstractivam, quæ iterum aliis etiam, quàm vero Deo convenit. Abstractè siquidem **אֱלֹהִים** significat potestatem vel facultatem aliquid faciendi, quæ creaturis etiam non repugnat. Adhiberi autem tum solet cum **אֱלֹהִים** sequente nomine **אֱלֹהִים**. Conf. Deut. XXVIII, 32. Neh. V, 8. Prov. III, 27. &c. Deniq; etiam (6) in hac Regula dicitur hoc nomen ita non **אֱלֹהִים** *ἐξοχὴν* sed simpliciter soli Deo esse proprium. Crelly scilicet agnoscit tandem hoc nomen **אֱלֹהִים** *ἐξοχὴν* sumtum ad Deum summum denotandum adhibitum & sic instar nominis proprii usurpatum fuisse. Consentit Francisc. Gomarus *Disput. IV. Theolog. de Nominib. Dei Thes. LXIV.* qui itidem **אֱלֹהִים** soli Deo **אֱלֹהִים** *ἐξοχὴν* convenire censet. Verùm hæc nobis non sufficiunt, ideoq; juxta regulam nostram, hoc nomen quando ita, ut antea determinavimus sumitur, **απλῶς** soli Deo proprium dicimus. Adhibetur quippe modo hætenus explicato tantum de vero Deo. Quid vetat igitur juxta illum modum hoc nomen soli Deo **απλῶς** proprium dicere? Ecce itaq; ! hic est genuinus Regulæ hujus circa usurpationem nominis **אֱלֹהִים** observandæ sensus. Veritatem verò hujus Regulæ probat universalis omnium locorum SS. inductio.

§. 6. Possunt quidè contra hanc Regulam nonnulla SS. loca in medium adduci, attamen illa tanti momenti non sunt, ut universalitatem nostræ Regulæ queant infringere. Urgeri nempe posset primò contra ea quando diximus: Nomen hoc non adjective sed substantivè sumtum Deo proprium esse cap. XI. Dan. v. 36. ubi Deus dicitur **אֱלֹהִים אֱלֹהִים** Deus Deorum. Sicuti verò antea in verbis Ezechielis **אֱלֹהִים אֱלֹהִים** adjective per superlativum à nobis explicatum est. Ita & in verbis **אֱלֹהִים אֱלֹהִים** idem fieri debere quis dicat, & sic etiam nomen **אֱלֹהִים** adjective sumtum Deo tribuendum erit. Ast dispar hic est ratio in illis enim verbis, quæ Ezechiel l. c. habet **וְאֶתְנַחֵם בְּיַד אֱלֹהִים** non aliter quàm adjective per

per

per potentissimum reddi potest. Ridicula enim esset versio, si red-  
deres, & dabo eum in manus Dei gentium. Hic verò quando Deus  
אלהים ה' vocatur, nulla nos cogit necessitas, ut adjectivè ה' אל  
interpretemur. Equidem exprimitur hac locutione Superlativus  
atque אלהים ה' Deum omnibus Idolis longe potentio-  
rem imo potentissimum denotat. Inde tamen non sequitur quod ה' אל  
hic sit propriè dictum Adjectivum. Sicuti n. עבד עברי servum  
quidem notat abjectissimum, nihilominus tamen עבד non fit ad-  
jectivum, utut aliquo modo superlativo hæc locutio respondeat: Ita  
& אלהים ה' Deum designare potest potentissimum, quamvis ה'  
אל substantivè saltem sumatur. Possunt enim superlativi אלהים  
& אלהים sæpius esse substantiva, quæ tamen inde adjectiva non fiunt.  
Sed & obverti porro nobis posset versiculus primus Psal. LXXXII, u-  
bi dicitur אלהים ה' נעבד בעדת אל Deus constitutus est in cætu  
El, i. e. juxta τὸς Θεοῦ, ἐν συναγωγῇ Ἰσραὴλ, vel juxta *Vulgarum*, in syna-  
goga Deorum: Hic nomen ה', licet omnes conditiones antea recen-  
sitæ adsint, tamen de alio quàm de vero Deo adhiberi videtur. Sed  
Respondemus, videtur. Locus enim hicce licet nobis contrariari  
videatur, revera tamen non est contrarius. Varii quidem varias  
hic proferunt glossas, nos tamen versionem B. Lutheri omnium op-  
timam judicamus, Gott stehet in der Gemeine Gottes. DEus i-  
taq; hic stare dicitur in cætu vel synagoga Dei, i. e. in synagoga sua.  
Nam pro pronomine possessivo poni interdum ipsum nomen ante-  
cedens vel sexcentis probari potest exemplis. Ita Gen. V, 1. Deus  
dicitur creasse hominem in similitudine Dei, i. e. in similitudine sua;  
Ita Abraham natus dicitur octoginta sex annos cum pareret Hagar  
Ismaelem Abrahamo, i. e. cum pareret ipsi Gen. XVI, 16. Sic etiam  
Jehova dicitur, se revelasse Samueli in Silo per sermonem Jehova, i. e.  
per sermonem suum I. Sam. III, 21. Vid. B. Glass, in *Grammat. Sacr.*  
l. 3. n. 2. Can. XIII. p. 198. Ad eundem verò modum Deus hic di-  
citur stare in synagoga Dei, i. e. in synagoga sua. Proinde nomen  
ה' hoc loco de vero Deo adhiberi, certum est. Deni-  
que & Versiculus 36. cap. XI. Dan. nostræ videtur obstare Regulæ, u-  
bi de Anti-Christo dicitur quod se elaturus sit על כל ה' אל. Hic  
ה' vix verum denotare poterit DEum cum ille unus tantum sit. In-  
de potius Reges & Principes, quàm Deum hic ה' אל significare po-  
test.

test. Verum & huic satisfieri potest dubio. Ponamus enim primo per **אל** hic Reges intelligi atq; Principes, inde tamen nostra non evertitur Regula. **אל** quippe tum non absolute, sed cum particula imminuente **כל** hic adhiberetur. Deinde verò *Magnif. Dn D. Calovius l. c.* hic etiam verum Deum comprehendi asserit, eo quod statim addatur, Anti-Christum sese esse elaturum supra **אל** **אלים** Deum Deorum. Illustrat etiam hanc explicationem versiculus subsequens; ubi de Anti-Christo iterum dicitur. **ועל כל אלה** *Omnes Deum non intelliget.* Hic tamen **אלה** procul dubio de vero explicari debet Deo. Denique & majoris adhuc evidentiæ ergo addi potest II. Thess. II, 4. ubi itidem Anti-Christus vocatur **ὁ ἀντιχριστός** *καὶ ὑπερβαρύνει* **ἐν τῷ ναοῦ τοῦ θεοῦ, ἢ σέβασμα.** *Quæ verba B. Balduinus in Commentar. in h. l. sic interpretatur. Intelligi hoc potest partim de vero Deo, sicut in Daniele habetur, &c., cujus ordinationem & leges pedibus concutatum ibit, neq; quidquam verebitur vel Majestatem vel potentiam: Partim etiam de omnibus iis, qui divinam quandam auctoritatem aut magnam quandam potentiam habent, ob quam Dii appellantur. Hos omnes non curabit ille, de quo sæpius, sed alto supercilio contemnet &c.*

§. 7. Præter hæcæ autem, quæ jam de nomine **אל** disputavimus, plura quidem adhuc de eodem Rabbini observant. Quæ verò cum fabulosa ferme sint, lubentes omittimus. Unicum tamen adducere liceat *Abarbanelem in Comment. in Leg. fol. 2. col. 2.* qui abstrusiores, si Diis placet, de hoc nomine opinionem fovet. Ita scil. de eodem differit. **ראוי שתרע עוד בזה שלהיות השם המפורש עצם הקרושה ותכליתה לאין סוף והיה שם אל מורה היותו משפיע לכן כשרצה הקב"ה להקדיש השם הזה האלהי קרושה רבה יחבר עמו חצי השם המיוחד כחצי אותיותיו כדי להוסיף על קרושת השם ההוא כי הנה לא יחבר אליו השם המפורש כלו לשתי סבות האחד שהשם ההוא המיוחד ירוד אינו מיוחד אל פעולה מהפעולות אבל הוא מורה על עצמותו ומהותו ולכן אם שיתחבר עם שם משמות הפעולות כמו שהוא שם האלהות להיות שניהם שם אחד**

אחדי והשנית לפי שהשמות ההם האלהיו עם הקדושה  
שנתוספת בהם ויאמרו בהשאלה על זולתו ומפני זה  
לא היה ראוי שיתחבר עמהם השם המפורש על  
כי הוא המיוחד לו ותו ולא יאמר על זולתו כי אם  
חציו אשר אין לו קדושת השם כלו והנה בתחבר  
עם שם אל המורה על המשפיע ביכלתו יוד והא  
שהוא חצי השם המפורש יהיה אלהי או אלהים  
מלכר המם שבא בסוף שם אלהים שהיא לסלה ממנו  
הסמיכות ופעמים יתוסף על שם אל ואז זרה שהיא  
החצי האחר מהשם המפורש ויאמר אז שם אלוד  
כי שלשה אלה כלומר אל ואלוד ואלהים הם  
שרשו שמות האלהות כלם אם מכלי תוספת כאל  
&c. &c. Scire adhuc  
convenit, quod cum nomen separatum (sc. יהוה) sanctitas ipsa sit  
& perfectionis infinita, nomen אל vero influxum Dei doceat, ideo  
quando voluit Deus sanctificare nomen hoc divinum sanctitate ma-  
gnâ, conjunxit cum eo mediam partem nominis proprii per dimi-  
diam partem litterarum ejus, ut aliquid adderet sanctitati nominis  
illius. Non autem conjunxit totum nomen proprium cum eo ob  
duplicem causam. Una est, quod cum nomen hoc יהוה non refe-  
ratur ad operationem aliquam, sed denotet Deum ipsum & essenti-  
am ejus, fieri ideo non possit, ut prorsus jungatur cum nomine  
ad operationes spectante, quale illud nomen divinum (אל) est, ita ut  
duo illa nomina unum sint. Altera ratio hec est, quia nomina il-  
la divina, cum sanctitate ipsius superadditâ per accommodationem  
præter Deum aliis tribuuntur, ideo non decet, ut cum iis jungatur  
nomen Tetragrammaton totum, quia illud soli Deo proprium, nec  
præter eum aliis tribuitur, nisi qua mediam partem, in qua non  
est sanctitas nominis totius. Ecce verò quando cum nomine אל,  
quod Deum notat influentem potentiâ suâ, jungitur ה ו י, quæ  
media pars sunt nominis Tetragrammati, tum fit אלהי aut אלהים  
sine ם; quod accedit in fine nominis אלהים ad removendum ab  
eo regimen. Interdum additur etiam nomini אל, ה ו י, quæ al-  
tera pars est Tetragrammati, atque tum fit nomen אלוה: Tria e-

nim illa אלהים, אלה, אלהים sunt indices nominum divinorum omnium, sive ea sint sine additione, ut אלה, sive cum additione, ut אלהים אלהים. &c. Hæc scil. est tanta Doctoris tanti subtilitas, de qua quid habendum sit, nemo non perspicit. Ita enim homines nimium intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. Frustra siquidem dicitur per conjunctionem mediæ partis nominis Tetragrammati nomen אלה valde sanctificari. Nomina quippe Dei sumuntur vel pro vocabulis, quibus Deum appellamus, vel etiam pro ipso Deo. Si priori modo sumuntur, tum unum nomen altero non est sanctius, nec etiam unum alterum sanctificare potest. Literarum enim, syllabarum, & vocabulorum ut talium nulla est sanctitas, nulla efficacia. Posteriori autem sensu si nomina Dei accipiuntur, scil. pro ipso Deo, tum iterum ridiculè dicitur, unum nomen sanctificari ab altero. Omnia siquidem nomina tum unum idemque denotant subjectum, scil. Deum, imò sunt ipse Deus. Estne verò Deus seipso sanctior? Vel poteritne Deus seipsum sanctificare? Minimè! Concedimus equidem, unum nomen Dei juxta nostrum concipiendi modum magis exprimere ratione significationis naturam divinam, altero. Quædam enim immediatè designant ipsam essentiam divinam, quædam verò attributum aliquod Dei. Inde tamen non sequitur unum nomen in se altero esse sanctius, vel unum posse reverà sanctificare alterum. Quemadmodum enim essentia divina non est sanctior attributis Dei, ita & nomina divina ab essentia desumpta, reliquis, quæ ab attributis divinis desumuntur sanctiora non sunt. Nec obstat, unum nomen frequentius usurpari de Deo, quam reliqua, imò unum nomen soli Deo magis convenire, cum quædam creaturis sæpius tribuantur, quædam non. Nulla quippe iterum exinde elicitur sanctitas. Unum nomen altero frequentius de Deo usurpari potest, non quia est sanctius, sed quia magis essentiam divinam ratione significationis quoad nos exprimit. Deinde non profanantur etiam nomina divina, quando creaturis simul tribuuntur. Alias ipse Deus, qui sua nomina creaturis interdum indit, eadem profanaret. Imò ipsum nomen יהוה hoc modo profanum esset, quia & illud cum adjectis quibusdam particulis & in compositione positum creaturis interdum convenit. Estne v. eam ob causam nomen יהוה profanum vel non sanctissimum

simum, quod simul creaturis conveniat? Certè Rabbini id non affirmabunt. Adeundem verò modum לך aut alia nomina, licet sub certâ conditione creaturis etiam tribuantur, profanari nequeunt. Frustra proinde porro *Abarbanel* rationes allegat, cur non integrum nomen Tetragrammaton, sed saltem dimidia ejus pars cum לך conjugatur. Negamus enim, cum ita ratio, qua hoc *Abarbanel* probat, nulla sit, ex conjunctione לך ac dimidiæ partis יהוה resultare nomen אלהים vel אלהי vel אלה: Hoc nomen siquidem non est compositum ex לך & יהוה, sed simplex, descendens ab unâ Radice ex Arabismo restituendâ الله, uti suo videbimus tempore. Denique & tria nomina לך אלה & אלהים esse Radices nominum divinorum omnium, tam falsum est, quam quod falsissimū. Quis enim אלה, ארני, item השם, המקום, השמים &c., quæ Rabbini nominibus divinis etiam accensent, ab hisce tribus nominibus deduceret? Sed rei manifestæ diutius inharere, est otio suo abuti. Proinde & nos hæc tandem linquimus.

§. 8. Accedimus verò ad nomen divinum ארני, quo primus omnium Abrahamus Deum compellavit Gen. XV, 2. quodque juxta computationem Masoretharum, centies & tricies quater, (sed juxta *B. Fessel. in Adversar. sacr. Part. I. Lib. V. c. III. p. 429.* centies & tricies quinquies) sine additione nominis tetragrammati, & cum additione ejusdem, ducenties & vicies bis in S. S. occurrit. Circa Etymologiam autem hujus nominis itidem Auctores non consentiunt. *Förster in Lexic. Hebr., ut & Polan. in Commentar. in Ezech. p. 77.* deducunt à דן judicare; Ita verò ארני justum ac potentem significaret judicem. Addit autem adhuc aliam *Clariff. Hottinger. l. c.* hujus nominis Radicem, scil. antiquum illud דן permisit, concessit, quia Dominicæ Majestatis est leges dare, adeoque quidquam permittere. Omnium tamen optimè deducitur ab דן basis, fulcrum, sustentaculum, &c. Ab illo enim nomine primum est ארני Dominus, & ab hoc vicissim nostrum ארני. Hæc originatio autem merito censetur optima, quia est simplicissima; Proinde & vi Etymi sui hoc nomen, Dominum, Sustentatorem, conservatorem, & columnam totius universi notat, cui, ut loquitur *B. Glass. in Orat. de Ling. Hebr.*

B 3

necef-

*necessit. ac utilitat. omnia in toto hoc universo ceu principio suo insistant, quo vegetante consistunt & vivunt, quo vim suam detrahente, in vanum, imo purissimum nihil abeunt &c. &c.* Nec in aliis quoque linguis hac locutio, qua Dominus fundamentum vel sustentator dicitur, est insolens. Ita enim Arabes *عزائم* Dominum nuncupant *عمود* columnam populi; Ac Græcorum *Βασιλεύς*, est quasi *Βάσις τῆς λαῶν* vel *λαῶν* fundamentum populi; Ita & τὸ *יְהוָה* talem Dominum, qui omnia fulcit ac sustentat, hic denotare potest.

§. 9. Formam porrò nominis hujus quod attinet, illa magis est controversa. Communiter quidem dicunt esse numeri pluralis; attamen utrum τὸ Jod sit affixum nec ne, de eo adhuc inter se dissident. *Galatin. l. 2. de A. C. V. c. 13. p. 91. Forster. & Munster. in Lexic., Crellius l. 1. de verâ Relig. c. 10. &c.* putant esse numerum pluralem cum affixo primæ personæ pluralis numeri, ideoque idem esse ac *Domini mei*. Contra verò *Sixtinus Amama in Dissertat. de nom. יהוה* §. 47., *Cornel. à Lapid. in Commentar. I. Tim. VI, 15., Francisc Gomar. l. c., Leusden. in Philolog. Hebr. Dissert. XXXI. Thes. XI. p. 326., Plur. Reverend. Dn. D. Pfeif. in Fascicul. Dissertat. Philolog. Dissert. VIII. th. 27. &c.* absolute citra additum affixum hoc nomen numeri pluralis esse contendunt. Dantur enim nonnulla apud Ebræos nomina, (de quibus vid. *Excellentiss. Dn. Sennertus, Præceptor & Patronus noster æternum devenerandus in Grammat. Ebr. univers. l. 1. c. V. p. m. 71.*) quæ plurali loco *י* assumunt *ו*. Ad formam itaque illorum etiam *יְהוָה* esse pluralem numerum absolutum dicunt, pro (-) verò adhibitum esse (ו) discriminis causâ, ut exinde quando hoc nomen Deo conveniat, quando non, constare possit. Cui etiam posteriori sententiæ nos album potissimum jam addimus calculum. Deus quippe vocat seipsum *יְהוָה* Esa. VIII, 5. 6. 7. Ast seipsum Dominum suum appellare non potest: Ergo *יְהוָה* quoque non habet affixum primæ personæ, sed absolute Dominum significat. Deinde sicuti propter reverentiam Deo exhibendam aliis nominibus affixum primæ personæ non addimus, cum non dicamus *אֱלֹהֵינוּ* *אֱלֹהֵי יְהוָה*, ita & in *יְהוָה* tale quid haud factum esse, colligimus.

Et



Et quamvis Græcus vel Latinus Interpres in uno alterove loco אֲדֹנָי transtulerint, addito pronomine primæ personæ, tamen nostræ hoc non officit sententiæ. Notum enim est, Interpretes sæpius quædam adjicere, quæ in Textu authentico non habentur. Ita Syrus *κύριος* non absolute *κύριος* sed *κύριος* vertit. Quis autem eam ob causam diceret, *κύριος* significare *Dominum nostrum*. Ita & *πατήρ*, Syrus iterum sæpius per *אב* vel *אבא* & Arabs per *أب* transferunt. Itaque ex versione non de fontibus, sed ex fontibus de versione iudicium fieri debet. Denique verò rationem quoque cur אֲדֹנָי in plurali adhibeatur suppeditat *Galatinus l. c.* Idcirco igitur, inquit, *prisci illi patres à Mose edocti, Deum, Dominos in plurali numero nuncupari sanxerunt, ut ex hoc palam ostenderetur universale rerum dominium tribus divinis personis commune esse. Nam Dominus est Pater, Dominus est Filius, Dominus est Spiritus S., ut autem innueretur, Patrem, Filium & Spiritum S. non tres Dominos esse, sed unum Dominum, decretum fuit, ut nomen אֲדֹנָי Adonai, etsi plurale sit, nonnisi cum verbo singularis numeri, vel cum nomine Adjectivo itidem singularis numeri conjungeretur.* Ipse etiam *Magnific, Dn. D. Calov. T. II. System. p. 122.* *Elohim & Adonai nomina personalia vocat, quæ personas divinas significant, eo ipso indicaturus אֲדֹנָי in plurali adhibitum, personarum divinarum pluralitatem inferre.* Illud tñ. hic quoq; prætermittendum non est, ab his, quæ de formâ hujus nominis hæctenus dicta sunt, plane dissentire *Theodor. Hakspan. in Disputat. Theolog. ac Philolog. Syllog. p. 211. 212.* Jod siquidem in fine adjectivum, neque numeri, neque suffixi rationem habere, sed formativum esse, ut in *שמי, ברזלי, ינאי*, asserit, & sic אֲדֹנָי non in plurali, sed singulari numero usurpari. Probat id potissimum exinde, quia forma pluralis numeri in י pro ם. prorsus irregularis, adeoque rarissima est. At in voce אֲדֹנָי terminatio in ם. rara, ac in י. creberrima est. Clamat proinde, concludit tandem, ipsa exemplorū multitudo, non esse plurale irregulare, sed aliud quid, nimirum singulare, quod rationem habeat nominis proprii. Nos quidem simpliciter hunc non damnamus *σοχασμὸν*, imprimis, cum juxta ipsum *Excellentiss. Hakspanium*, quid hic quisque

que sentiat, parum referre videatur, distingui tamen posse existima-  
 mus inter nomina Propria atque Appellativa. In Appellativis  
 quidem ita sese res habet, ut forma irregularis in iisdem raro occure-  
 rat. Nomina autem propria cum sub Regulas Grammaticas cogi  
 non possint, formam, quæ in Appellativis irregularis est, sæpius re-  
 tineri possunt. Inde etiam *B. Glass. Lib. IV. Phil. Sacr. Tractat. III.  
 Observat. IV.* multis probat exemplis, quod *nomina propria vari-  
 ationi & mutationi in literis & Syllabis quandoq; sunt obnoxia.* Ad  
 exempla verò, quæ adducit *Clariss. Hakspanius* responderi posset,  
 nomina illa, si formam spectemus in se esse pluralia, utut tanquam  
 propria adhibeantur. *B. Glasius etenim l. c. Observ. I.* iterum ta-  
 lem format Canonem, *Nomina in se pluralia vel dualia, ex speciali  
 impositione sæpe sunt singularia & propria.* Ex quo Canone no-  
 stra responsio utique robur accipit. Sed uti jam ante monuimus,  
 hæc res adeo magni non est momenti. Inde modestè nostram hic  
 saltem exponimus mentem, cui vis liberum, relinquentes, quid hæc  
 in re sentire velit.

§. 10. Circa usurpationem vero nominis hujus observa-  
 mus iterum Regulam *Excellentissimi Dn. Waltheri, Promotoris nostri  
 maximi*, quam l. c. habet. *Nomen אֲדֹנָי cum (·) in fine, eodemq;  
 nativo, est soli Deo proprium.* Loquitur hæc Regula (1) de nomine  
 אֲדֹנָי præcisè. Nam etsi אֲדֹנָי, אֲדֹנִים, & אֲדֹנֵי magnam alias in-  
 ter se affinitatem habeant, in usurpatione tamen eorum eadem non  
 est ratio. Nam אֲדֹנָי ac אֲדֹנִים præter Deum etiam creaturæ ra-  
 tionales, Angeli boni, & homines, vel honoris ac reverentiæ ergo,  
 vel propter dominium ac potentiam, ut ex *B. Fesselio l. c. c. 2. pag.  
 415. seqq.* videre est, in S. S. appellantur. Quod tamen de nostro  
 אֲדֹנָי dici non potest. Additur autem (2) אֲדֹנָי cum (·) in fine.  
 Invenitur quippe hoc nomen interdum cum (-) & interdum cum  
 (·) sed iterum sub diversâ significatione. Cum (-) quando adhi-  
 betur, tum creaturis potest competere, atque est plurale cum affixo  
 primæ personæ. Per (·) autem punctatum soli Deo tribuitur.  
 Inde etiam *R. David Kimchi in libr. Radic.* אֲדֹנָי שְׁהוּא לְשׁוֹן  
 חוֹל הוּנָה בְּפִתּוֹ וְהַשֵּׁם הַנִּכְבָּר אֲדֹנָי בְּלִשׁוֹן רַבִּים  
 &c. לְכַבֵּד וְהוּא קְמוּץ וְהוּא בְּסִימָן רַבּוֹ אֲדֹנָי  
*Adonai, quod profanum est (h. e. de aliis, quam vero Deo usurpatur)*  
 est

est cum Patach. ut de Deo glorioso dictum honoris ergo in plurali numero cum Kametz usurpatur, idq; unico solum pluralis numeri signo adhibito, (scil. Jod, omisso ם). Omitti tamen non debet, quod Regula nostra (3) de (ֿ) nativo notanter memorat. Distinguendum siquidem est inter Kametz nativum atque accessorium s. ortum propter praesentiam Accentus Domini. Nomen hoc per Kametz nativum, non accessorium punctatum Deo soli attribuitur. Facilis itaque jam ad locum Gen. XIX, 2. est responsio, ubi Angelos etiam אַרְנִי per Kametz Lothus appellat; Scilicet Kametz illud est saltem accessorium propter sakefkatonem, qui (-) in (ֿ) mutat; Inde nostram hoc exemplum non labefactat Regulam. Denique verò & Regulæ hujus veritas elucescit (1) ex inductione omnium locorum S. S. Nullus etenim in contrarium adduci potest locus, in quo אַרְנִי sub his conditionibus positum, de alio quam de vero Deo usurpetur. Conferatur hic denuò *Magnif. Dn. D. Calov. in Theol. Natural. & Revelat. pag. 422*, qui hæc prolixius deducit, atque Socinistarum exceptiones pro more suo, i. e. accuratissimè discutit. Confirmatur autem (2) hæc Regula ex ipsâ *explicatione Biblicâ*. Qui enim hic אַרְנִי dicitur, is alio in loco appellatur יהוה, vel אַרְנִי יהוה. Sicuti verò יהוה est nomen soli Deo conveniens, ita & ex hac permutatione patet, etiam hoc de אַרְנִי esse asserendum. Consentiant hic *Targum Onkelos* qui pro אַרְנִי ubique habet יהוה, & alii Ebræorum Magistri. Accedit (3) quod huic nomini omnia requisita nominis proprii convenient. Requisite illa recenset *Kimchi in Michlol pag. 15*. לא תבוא הא הוריעה על שם האדם לא תאמר האברהם וכן לא יבאו עמו הכנוי לַיִן תאמר אברהמי יצחקי וכן לַיִן Non additur He notificativum nomini proprio; Non enim dicimus, Haabraham; Non etiam adduntur suffixa ( adeoque nec Regimen adhiberi potest). Nec enim dicimus Abrahami, Jizbhaki, b. e. Meus Abraham vel Isaac. Nec etiam dicimus in plurali numero, Abrahamim, Jizbhakim &c. Quodcunque nomen itaque respuit He Emphaticum, non recipit suffixa, nec ponitur in Regimine vel plurali numero, illud est nomen proprium. Subsumimus jam de אַרְנִי, illud respuit

C

He Em-

He Emphaticum &c., uti ex inspectione Bibliorum ac Concordan-  
 tiarum iterum liquet. Ultra itaque sequitur, illud esse nomen pro-  
 prium soli Deo conveniens. Non ignoramus equidem, reperiri  
 interdum in sacro Codice צבאות ארני, in qua locutione nomen  
 ארני, secus ac nos ante affirmavimus, in statu constructo positum  
 videtur. Verum locutio hæc est Elliptica. Nonnulli quidem Ap-  
 positionem hic statuunt, quibus tamen assentiri haud possumus,  
 quia צבאות, ut alibi probatum dedimus, nomen Dei non est. Di-  
 cimus itaque subintelligendum hic esse אלהי. Quemadmodum  
 יהיה אלהי צבאות יהוה dicitur ellipticè pro צבאות אלהי,  
 ita & ארני אלהי צבאות ארני pro צבאות אלהי  
 יהוה אלהים צבאות ut Psal. LIX, 6. vel ארני יהוה צבאות ut Psal. LXIX, 7. Quid-  
 ni enim & hic talis queat statui Ellipsis, & Deus appellari, Dominus  
 Deus, Dominus Exercituum? Quamvis & alii statum constructum  
 pro absoluto, hic positum esse contendant. Illustrari tandem  
 quoque (4) nostra potest Regula ex eo, quod LXX. sæpius אדנאי  
 retineant. Illud enim, quamvis non semper, plerumque tamen  
 nominum priorum signum esse solet.

§. II. Paucis jam quoque quid Rabbinum de hoc nomine dif-  
 ferant, dispiciendum erit. Communiter illud appellant ארני  
*Confessum, certum, indubitatum.* Rationem hujus appellationis  
 nonnulli suppeditant hanc, quia nemo non sanæ mentis confitetur  
 Deum rerum omnium Dominum ac moderatorem. Illos tamen  
 styli Masoretharum imperitos vocat *Buxtorfius in Dissertat. de No-*  
*minib. Dei Hebr § 53.* Existimat autem hoc nomen ideo sic dici,  
 quod puncta ejus sint certa & confessa, quæ ad literas, quibus con-  
 stat, efferendas adhibita sint, atque ita etiam distingvi ארני, quod  
 legitur, sicut scribitur, יהוה, quod etiam legitur Adonai, sed non  
 ita scribitur. Verum nos hæc suo jam relinquimus loco, cum ali-  
 bi quid de lectione nominis יהוה habendum sit, exposuerimus.  
 Quæ vero *R. Mos. Majemonid. in more Nebhoch חלק ראשון*  
*פרק סא f. part. prim. cap. 61.* habet, cum illis quæ hæctenus  
 diximus, ex parte conveniunt יהוה אלהי ארני, cum illis quæ hæctenus  
 זאו הא הוא גם כן נזר מן הארנות דבר האיש  
 ארני

אדני הארץ אתנו קשורה וההפרש בין אמרך אדני  
 בחירק הנון ובין אמרך אותו בקמצות הנון כהפרש בין  
 אמרך שרי אשר עניינו השר שלו ובין אמרך שרי  
 אשר אברם וכללות לאחרים וכבר נאמר למלאך  
 אדני אל נא תעבור אמנם ביאתי לך זה באדני  
 לבר המכונה בו להיותו המיוחד שבשמות המפורסמים  
 לו יתעלה i.e. uti Buxtorf. in Version. Majemonid. habet, I-  
 psium etenim illud nomen, per quod nomen Tetragrammaton, Jod,  
 He, Van, He, legitur ( Adonai scil. ) deductum est à Dominio, ut  
 Locutus est Vir ille, Adone Dominus terræ nobiscum dum. Diffe-  
 rentia autem est inter אדני, quando Nun legis cum Hbirek, Adoni  
 scil. & inter אדני, quando Nun legis cum Kametz, & dicis, Ado-  
 nai. Quemadmodum differentia est inter שרי, quod signifi-  
 cat Princeps meus, & inter Sarai, שרי, ut Sarai uxor Abrahami.  
 Nam in hoc ( Sarai scil. & Adonai ) est tum significatio honoris  
 ( quia Dominum significat ) tum universalitatis multa  
 comprehendens ( quia est numeri pluralis & ita mul-  
 tiplex dominium significat ). Præterea dicitur quoque  
 de Angelis, hoc nomen Adonai, ut Adonai, Domini mei, quæso ne  
 transeas. Atque hæc de Nomine Adonai potissimum, per quod legi-  
 tur nomen Tetragrammaton, monere volui, quia magis proprium  
 est, quam reliqua nomina, quæ de ipso sunt manifestata.

§. 12 Coronidis verò loco adhuc notentur elogia illa, qui-  
 bus Judæi inprimis Cabbalistsæ hoc nomen ornant. Inprimis R.  
 Joseph Ben Gecatilia in libro אורח שעריו satis prolixus est in  
 hoc commendando nomine השם הראשון שהוא קרוב לכל  
 הנבראים ובו נכנסים לפני המלך יהוה ית' ואין  
 הרך בעולם לראות פני המלך ית' אלא על ידי שם  
 Nomen primum, inquit, זה הויה השם הנקרא אדני:  
 quod proximum est rebus creatis, & per quod ingrediuntur in con-  
 spectum Regis Dei benedicti, & sine quo nulla alia datur via viden-  
 di faciem Regis, est nomen illud, quod vocatur Adonai. Et  
 porro

ולפי שאין לכל נברא בעולם דרך להכנס לשם  
 יתו אל על ידו וכל שאלה ותחנונים ובקשר  
 אינם נכנסים אל על ידו אדני הוצרכו לקבוע  
 בראש כל התפלות אדני שפתי תפתח  
*i. e. Et quia nulli creatura via patet ingrediendi ad nomen Dei, nulla etiam orationes, preces, & deprecationes ingredi possunt ad Deum, nisi per hoc nomen Adonai, idcirco ordinarunt in principio orationum, Adonai labia mea aperias Psal. 51, 17.* Item אדני הויה  
 שם אדני הויה אוצר שבו כל טכסיסי המלך  
*i. e. Nomen, Adonai est thesaurus, in quo reposita sunt omnia ornamenta Regis: &c.* Ex his  
 vero atque aliis hujus nominis אדני encomiis, Buxtorfius pariter  
 atque Hottingerus demonstrare conantur, nomen Adonai eleganter  
 representare Christum, ac ei optimè hoc sensu convenire, cum  
 personam ac officium ejus aliquo modo adumbret. Quæ n. de אדני  
 hic Judæi efferunt, illa ad Christum alias Theologi applicare solent.  
 Sed nos ne falcem in alienam mittamus messem, hic subsistimus,  
 pro auxilio præstito decerentes

## SOLI DEO GLORIAM.

*Ad Præstantissimum atque Literatissimum*

**DN. RESPONDENTEM,**

Fautorem ac Amicum suum honorandum,  
**T**E vigor ingenii, probitas, doctrinaq; nostræ  
 Commendant multum, Fautor amande, Scholæ.  
 Hinc quoque jam multis te commendare, tuumq;  
 Laudare ingenium, vix opus esse puto.  
 En! Te commendat fatis, inclytus ordo Sophorum,  
 Qui mox imponet laurea ferta tibi.  
 Pergito, ceu pergis, sic præmia plura sequentur,  
 Quæ conferre suis doctus Apollo solet.

*Hæc boni ominis ergo ser.*


**PRÆSES.**

OS A 1852

ULB Halle

3

003 787 761



56







Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



43  
3

PHILOGICA,  
S DIVINIS  
AC  
LOCO,  
sophorum in Inclytâ  
eâ Ordine,  
suffragio sibi concesso,  
defendet  
S E S  
US Schwarze/  
â-Pomeran.  
DENTE  
STIANO Zielcken/  
chiensi,  
io Majori,  
noctobr.  
DC LXXIX.  
\*\*\*\*\*  
BERGÆ,  
NI SCHRÖDTERL

